

DECRETUM
SALUBERRIMÆ FACULTATIS PARISIENSIS.

ANNO Domini milleſimo ſeptingenteſimo trigeſimo-quinto die Sabbati quinto Februarii convocata fuit Facultas, horâ decimâ matutinâ, poſt Sacrum, auditura relationem Clariſſimorum Virorum, qui examinandis M. Hyac. Theod. Baron Exdecani commentariis & rationibus, anni ultimi, poſterioris ipſius Decanatûs, præpoſiti fuêre; & de aliis rebus ad Facultatem pertinentibus deliberatura.

In his Comitiis Decanus, Statutorum aſſertor, ſaluberrimum ordinem his verbis allocutus eſt. Nuper mihi relatum eſt Doctores aliquot iratos Bidello, in ultima Theſi quodlibetaria die Jovis tertio Februarii, diſputante M. Joſepho de Juſſieu; obmurmuraſſe, quod Bidellus non ſineret ipſos chirographum Catalogo apponere, ſtatim

atque acceſſerunt: quaſi honorarii cauſa tantummodo accederent! id fateor v. m. p. meo juſſu factum eſt. Quoniam Theſes veſtræ probatoriæ ſunt, & de Reſpondente quem non audiverunt, Doctores ferre judicium, ſchedulam in ſcrutinii capſam mittentes, iniquum mihi viſum eſt: & præterea id jam à vobis antea definitum fuerat, articulo octavo novorum Statutorum, Curiæ placito anni 1696, firmatorum. Sic autem ſe habet 8us ille articulus.

Doctoribus cum veſte talari & manicata, pileo quadrato, humerali coccino & modeſto, qualis eſt togatorum, colli amictu, interiores inferiorum Scholarum cancelli dumtaxat pateant, atque hoc ornatu, Baccalaureorum actibus ſedentes immorentur, de eorum eruditione judicium laturi, ibidemque in oblato Catalogo datâ ſuſcriptione præſentiæ ſuæ teſtimonium exhibeant, alioquin ſi in diebus actuum extra laudatos aulæ interioris limites inſcribendæ ſyngraphæ copiam à Bidellis obtinuiſſe conſtet, illi jure ſuffragii priventur, hi verò plectentur pecuniæ ſumma ad arbitrium Facultatis.

Poſtulo igitur à vobis ut vi hujus Sta-

tuti, Mandatum noſtrum ratum habeatis & decreto veſtro confirmetis, deinceps ab omnibus obſervandum, ſub pœnâ in dicto articulo expreſsâ. Quibus auditis & rogatis ſententiis, Facultas Statutorum ſuorum tenaciſſima, unanimi conſenſu, ratum habuit Decani Mandatum; cenſuitque octavum articulum novorum Statutorum, ſupra memoratum, deinceps ſtrictè ab omnibus obſervandum eſſe: atque hoc Decretum typis mandandum ac unicuique Doctori diſtribuendum, ut omnibus innoteſcat ſaluberrimum ordinem, Statutorum ſuorum obſervantiſſimum eſſe, & ſic concluſit.

RENEAUME, Decanus.